



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

13. Proponuntur modi aliquot, quibus via aperitur Iudici ad inquisitionem specialem: qui tamen convictum de uno crimine non semper potest interrogare de alijs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

ditionis, ut nisi sine prævia infamia auctor inquiratur, facile possit malum serpere: in specie I C. casum ponit, in casu inquisitionis contra servos, in morte Domini qui reperitur occisus, & ignoratur auctor *L. 1. ff. ad S. C. Syllan:* & quando contra nautas navis submersæ, *L. quoties C. naufragis.* quia de his est suspicio. De crimine læsæ Majestatis textus est clarus in *Extravagant: Friderici Imperatoris ad reprimendum.* qui habetur post librum Feud.

13. Cæterum suppositâ criminis notiâ variis modis aperitur via Judici ad inquisitionem specialem cōtra certam personam, teste *Less: dub. 16. & alijs.* 1. cum auctor est notorius; dicitur autem notorius, si probetur saltem per duos testes ex *Gl: in Can. Omnipotens 1. q. 1.* 2. si sint judicia judicialiter probata. Hæc enim sunt pro infamia, cum pariant aliquam juris notoreitatem ex *Navar: hic. n. 78.* 3. quando est semiplena probatio, ut cum crimen est notorium, & de auctore testatur unus omni exceptione major: ex *Less: num: 146.* 4. si officialis, aut alius denuntiet judicialiter, id est, in judicio, significando testes
vel

vel indicia, non autem, si ut privato fiat denuntiatio, auctore incerto, vel nomine accusatoris suppresso. *Clarus libr. 5. q. 7. & 5.* Ut si reus vel testis incidenter quid confessus sit in iudicio. *ex eod. q. 19.*

ADVERTAT autem Judex convictum de uno crimine non posse interrogari de aliis, de quibus nulla præcessit infamia *L. ult. C. de accus.* nisi fortè connexionem habeant cum principali, quo sensu accipienda *Lex qui ultimo 29. ff. de pæn.* Ratio, quia ad occulta interroganda adhuc non est strata via eo casu Judici, & Reus in una, adhuc possit bonum nomen retinere in alia materia. Consuetudo, quam *Clarus in L. 1. ff. de question.* in contrarium allegat, procedit solùm in criminibus exceptis & connexis v. gr. sodomiâ, adulterio.

14. An satis sit, ut indicia præcedant ad hoc, ut Judex per inquisitionem procedere possit contra certam personam nullâ aliâ infamiâ præcedente? Et videtur quod sic, quia sicut infamia supplet vices accusatoris, ita indicia sustinere videntur vices infamiæ. SUPPONO quatuor gradus indiciorum assignari, Alia enim dici solent